CONSTITVTIONES
ET
DECRETA
Diœceſanæ Synodi Marſicanæ
CELEBRATÆ
Ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D.
D. FRANCISCO BERNARDINO
CORRADINO EPISCOPO
Anno Domini 1686. Menſe Aprilis die 25.



D. Caroli Perruzze àb Auezzano

ÆSII, Apud Claudium Perciminеum. 1687. Sup. Permiſſu.

NOS FRANCISCVS BERNARDINVS CORRADINVS

MARSORVM EPISCOPVS;

Ad Dei Omnipotentis laudem, hæc in præſenti prima noſtra Synodo Diœceſana ſtatuimus, & ſancimus.

DECRETVM I.

SYnodalia Statuta Dominorum Epiſcoporum de Gaſperis, & Petræ Prædeceſſorum noſtrorum confirmamus in his, quæ præſentibus minimè obſiſtant.

II.

OBſtætrices non niſi à Nobis, ſeù Vicario Generali cum Parochi, intra cuius fines commorantur teſtimonio etiam quoad mores ad huiuſmodi munus admittantur ſub pœna Excommunicationis, & cum aliqua ex ipſis cum neceſſitate baptizabit, curet quoad fieri poteſt, vt alij præſentes adſint, qui verba ab ea prolata audire poſſint: Parochus verò (an infans baptizzatus ſit) diligenter perquirat, Obſtætricem, & alias perſonas de verbis prolatis interroget, vt ſibi conſtet, nùm Baptiſ-

...ctè adhibita ſit, an ſecùs; propter quod o-
...t à ſe baptizzari iuxta Rituale Romanum.

III.

CVrati, quibus Cura incumbit Animarum, Sacramentum Baptiſmatis adminiſtrent in eorũ Eccleſijs. Alij Sacerdotes, Capitulo, & Canonicis Cathedralis noſtræ exceptis, quibus ius huiuſmodi reſeruatũ fuit in erectione præbendæ Curatæ, non niſi de conſenſu, ac cum aſſiſtentia Parochorum, qui actu ipſo deſcribant baptizzatorum, eorumque Parentum, nec non Patrinorum nomina cum expreſſione dierum, horæ, Menſis, & Anni, tùm natiuitatis, tùm Lauacri perfecti in libello vulgò *Scartafoglio* retinendo intùs Baptiſterium, deindè in peculiari libro baptizzatorum, eodem die regiſtrando ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda. Quod decretum extendimus quoad Codices, ſeù libros Matrimoniorum, ac Mortuorum, in quibus deſcribantur nomina, & cognomina Sponſorum, ac teſtium, vel defunctorum cum memorata expreſſione diei, Menſis, & Anni iuxtà formam in Rituali Romano appoſitam, cuſtodiendos in Sachriſtia, ſiuè in Armario ad id deputato per Parochoſmet conſeruandos ſub vna, aut pluribus clauibus ſub pœna ducatorum decem pro ſingulis vicibus incurrenda. Quos Codices, ſeù libros aliò vetamus aſportari, aut cuipiam inſpiciendos concedi ſub eadem pœna, niſi ipſe Parochus præſens fuerit, ne vlla fraus, ſeù alteratio committatur.

IV.

NEquaquàm permittant in ſuis reſpectiuè Eccleſijs pueros, ſeù Laicos homines, aut Clericos in Minoribus conſtitutos, imò etiam Sacerdotes (Parochis exceptis) de Sugeſtu, aut aliter ſermonem habere abſque noſtra præuia approbatione ſub pœna ducatorum decem.

Parochi

V.

PArochi omnes ſub decem librarum ceræ pœna ap[illegible] canda per Nos, libros, Rituale, & Catechiſmu[illegible] Romanum penès ſe habere teneantur.

VI.

DOctrinam Chriſtianam iuxta libellos S.Caroli Borromei, aut claræ memoriæ Cardinalis Bellarmini, ſeù aliorum à Sancta Sede Apoſtolica approbatorum, quos ſecum retineant, ſuum Populum quolibet die Dominico ſaltem tempore congruo, Campanæ ſono præcedenti, Curati per ſe ſe, alioſque Sacerdotes doctos, edoceant ſub pœna ducatorum duorum pro quolibet, & pro qualibet vice arbitrio noſtro applicanda; omnes, & præſertim Reuerendos Vicarios foraneos ſeriò monentes, vt Nobis, ſeù Vicario Generali noſtro notificent negligentes, contra quos ad pœnas etiam maiores procedemus.

VII.

NEminem principalia Fidei Myſteria, videlicet Credo, Orationem Dominicalem, Præcepta Decalogi, Sacramenta, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præcepta ignorantem, Curati, vel Confeſſarij, ſiuè Sæculares, vel Regulares Diœceſis noſtræ abſoluant, niſi eum, qui ob decrepitatem, aut ob memoriæ naturalem duritiem, morali adhibita diligentia, ea ediſcere, vel retinere non valet. Negligentes verò, ſiuè malitioſè, vel ad Eccleſiam, memoratam doctrinam capeſſendam non curantes accedere, vllo modo vti incapaces abſoluantur ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto,

VIII.

IN Dominica ſaltem Palmarum Parochi omnes ſub pœna decem librarum ceræ per ſe ſe, vel Concionatorem

[illegible] Eccleſiæ, aliumuè Sacerdotem, curent Promulgari Cenſuram decretam in Conſtitutione [illegible] Lateranenſis ſub Innocentio III. quæ incipit, *Omnis vtriuſque Sexus*, videlicet, quòd omittens confiteri ſemel in Anno, & ſumere ſanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum in Paſchate Reſurrectionis, viuus arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortuus careat Eccleſiaſtica ſepultura, tranſactiſque octo diebus poſt octauam Paſchatis, iterùm moneant, vt Præceptum prædictum quilibet capax in eius Parochia infra alios octo dies adimpleat, Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali poſtea cum ſtatu Animarum, ac atteſtatione iurata denunciet nominatim Contumaces, contra quos ſtatim ad Declaratoriam deuenietur, niſi intra tempus, vt ſupra aſſignatum, de legitimo impedimento à Nobis, ſeù Vicario noſtro Generali dumtaxat iudicando doctum fuerit.

IX.

EVchariſtiæ Sacramentum, in Paſchate Reſurrectionis, non niſi à proprijs Parochis, hiſque impeditis, à probo Sacerdote ſubſtituto in proprijs Eccleſijs, eorum Parochianis miniſtretur, exceptis publicis peccatoribus, & impœnitentibus, ac ijs, qui oretenùs moniti, odium, rancoremque ergà inimicum ſuum, vel Proximum de corde non remiſerint, abſque noſtra, ſeù Vicarij Generalis noſtri ſpeciali facultate, ſtatimque ſumentibus ſanctiſſimum Sacramentum detur Symbolum, ſeù theſſera in cartha ad hoc, vt interrogati illud poſſint exhibere ſine vlla fraude, circa quam ſedulò inuigilet Parochus, ne circumueniatur ſub pœna arbitraria.

X.

PArochi Particulas conſecratas quotidiè in Pixide argentea, aut ſaltem auricalchi deaurata, retineant in Tabernaculo ſub claue penès ipſos cuſtodita pro Infirmorum neceſſitate cum lampade ardente, eaſque æſtiuo tempore ſingulis hebdomadibus, hyemali verò non vltra quindecim dies renouent, ſub pœna trium librarum

ceræ

ceræ albæ arbitrio noſtro applicanda. In Feſto ſolemnitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti, diebuſque Octauæ, ſiuè alijs, ad quos contingat ſolemnitatem transferri, aut aliam conſimilem celebrari quibuſdam in Locis noſtræ Dicœceſis ſumptibus Eccleſiæ, ſeù Confraternitatum, prohibemus ſumptus fieri, tùm in Eccleſiæ ornatu, Muſicorum, Tubicinum, Cithariz̃antium, Tympaniſtriorum, Tormentorumque apparatu, tùm etiam in paranda Sacerdotibus conſueta refectione, ſed frugalitatem in menſa ſeruari volumus, & tolli iubemus armorum ſtrepitus, grauiter animaduerſuros in eos, qui in hoc genere deliquerint.

XI.

ANathemati ſubijcimus omnes Sacerdotes tàm Sæculares, quàm Regulares, Parochiale beneficium non obtinentes, qui Confeſſiones Sæcularium in hac Ciuitate, & Diœceſi prætextu Priuilegiorum, vel conſuetudinis, exemptioniſuè audire præſumpſerint, minùſque eos à reſeruatis Epiſcopo abſoluere abſque noſtra approbatione, & licentia.

XII.

CVm in Synodo Epiſcopi Petræ Prædeceſſoris noſtri ſub Titulo IX. de Sacramento Pœnitentiæ lata fuerit pœna ſuſpenſionis ab exercitio Confeſſionis ipſo iure in eos Confeſsarios tàm Sæculares, quàm Regulares, qui audirent confeſſiones, & abſoluerent Pœnitentes vtriuſque ſexus, cum quibus (Deus auuertat) in aliquod peccatum venereum conſummatum incidiſsent, propterea Decretum hoc confirmamus, ſublata tamen pœna ſuſpenſionis ipſo iure eamque ad Comminatoriam, & iuxta Mentem Noſtram reducimus, maioremque Arbitrio noſtro Inobedientes ſe nouerint incurſuri, vltrà eam æterni Iudicij Dei.

Facul-

XIII.

FAcultatem facimus Parochis, alijſque Confeſsarijs Sæcularibus, & Regularibus à Nobis, & Tribunali noſtro approbatis; Ijs tamen, quos ijdem Parochi magis virtute præditos, ac idoneos iudicauerint, abſoluendi Pœnitentes in propria tantùm Parochia, à Caſibus Nobis dumtaxat reſeruatis, à die Dominica Paſſionis Domini Noſtri IESV Chriſti, vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè, exceptis tamen ijs, annexam habentibus Excommunicationem.

XIV.

NVllus Sacerdos, vel Clericus Sæcularis, aut Regularis exorcyſmum Energumenis adhibere poſſit, niſi facultatem in ſcriptis cum clauſulis, & conditionibus per Nos præſcribendis impetrauerit ſub pœna, Sæcularibus ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, cuius abſolutionem Nobis reſeruamus; Regularibus verò ſub pœna priuationis facultatis auſcultaudi confeſſiones, ſimiliter ipſo iure, vt ſuprà.

Ad tenorē Bullæ Pij V. hoc Decretū reducimus.

XV.

PRæcipimus; vt Medici ad ægros in lecto iacentes adducti, antequàm illorum curam ſuſcipiant, eos planè moneant, vt idoneo Confeſsori de eorum peccatis confiteantur, eoſque denuncient, quòd niſi id tridui ſpatio ad ſummùm præſtiterint, eorum curationi defuturi, ſub pœna Excommunicationis ipſo iure ab ipſis Medicis incurrenda, ſi ſecùs aliter fecerint; niſi aliud Nobis, & in Epiſcopatu Succeſsoribus, ſiuè cui Epiſcopus eius rei facultatem dederit, aliud ex iuſta cauſa videatur.

Vt

Excommunicatione ad ... ac bonorum ex officio sequestratione

XVI.

VT diuinus cultus in Eccleſijs ab omnibus ...cruetur, Sacrorũ Canonum,& Cõſtitutionũ B.Pij V. veſtigijs inhærendo, mandamus, ne vllus in Eccleſijs deambulet, nugetur, tumultum excitet, Altaribus, eorũmque prædellis, necnon Fonti baptiſmali, aut ... Sanctæ hydriæ adhæreat, excepto Concionum tempore, nec quidquam ſuper illis aliquid profani collocet, actumue quemlibet irreuerentiam præſeferentem, verbo, aut nutu gerat, præſertim dum Miſsæ Sacrificium, aut Diuina celebrantur officia, vel Dei Verbum prædicatur, ſub pœna Interdicti ab ingreſsu Eccleſiæ, quam pœnam incurrat pariter vir, ſiuè fœmina: quæ ibidem vt ſuprà pueros lactantes, aut paruulos loquaces ſecum duxerit, eoſque ablactauerit, ſi moniti à Parocho, vel Sachriſta, inobedientes extiterint; quando tamen plures ibidem Sacerdotes erunt celebraturi. Præcipimus inſuper, vt ſedes omnes priuatæ, ſcamna, & ſubſellia ab eiſdem Eccleſijs amoueantur, & in poſterùm non collocentur, nec tempore Diuinorum Officiorum Laicis ad Chorũm, & Sachriſtiam, præter Eccleſiaſticos, & eiſdem inſeruientes pateat aditus, vel pauperes per Eccleſias eleemoſynarum cauſa tempore prædicto vagari permittantur, idque ſub pœnis in dicta Conſtitutione contentis, extra fores Eccleſiarum, præſertim dùm Sacra, Diuinaque fiunt, nullus permaneat, minùſque cum armorum delatione in eam ingrediatur, ſiuè intùs eam detineatur, etiam pro ſecuritate (Nobis inconſultis) frumentum, legumina, paleæ, fœnum, ligna, vel tabulæ, ſiuè quæcumque mobilia, non ad Eccleſias, ſeù Loca Pia, ſed ad perſonas particulares pertinentia ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, quam incurrant, in ea opus quodcunque mecanicum agentes: Rectores, vel Sachriſtæ, aut alij, ad quos earundem Eccleſiarum regimen ſpectet, id exequi curent, Nobiſque, vel Vicarijs noſtris Contumaces patefaciendo. Eccleſiæ Parochiales ab Aurorâ aperiantur, claudanturque poſt occaſum ſolis; Rurales verò, excepto Feſto Titularis, ſub claue cuſtodiantur poſt Miſ-

ſas ibidem celebratas. Cuſtodes aliter arbitraria pœna mulctabuntur.

XVII.

Diebus Feſtis de Præcepto interdicimus fieri quæcunque opera ſeruilia, iugulatoria, inania ſpectacula, nundinas, mer[...]s, ludos ſcœnicos, aliaque ſimilia facere, etiam in priuatis domibus, quæ profanitatem, & non chriſtianam ſapiant pietatem, præcipuè dùm Diuina Officia celebrantur, Doctrinaque Chriſtiana edocetur, minùſque antè, vel propè Eccleſiam eam permitti, ſicuti publicè vendere merces cuiuſuis generis, & ſpeciei, ſed tantum victui neceſsaria, & quæ recentia tantùm conſumuntur, hoſtiolo tamen paruo Apothecæ aperto, præſertim id temporis, quo celebrantur Miſsæ ſolemnes, vel Conuentuales, ſeù Parochiales, ac Veſperæ, necnon habeantur Conciones tempore Aduentus, atque Quadrageſimæ in Ciuitate, & Diœceſi, minùſque vendere, aut emere, ſiuè edere carnes cuiuſuis generis, & ſpeciei quadrageſimali tempore ſine noſtra, & Vicariorum noſtrorum licentia, præuia tamen iurata Medicorum atteſtatione, ſicuti pariter prohibemus iumenta cum baſtiolo ſimpliciter, licèt non onuſta ducere, & extra Locorum habitationem ſub pœna librarum ſex ceræ albæ elaboratæ per quemlibet, & qualibet vice ipſo facto incurrenda per Contrauentores, nullo iuris ordine ſeruato, tertia parte Accuſatori, ſeù Executoribus quibuſcumque; reliqua verò Locis Pijs arbitrio noſtro applicanda. Exceptis tamen temporibus meſſis, vindemiæ, fœni, aliorumque fructuum, & vbi neceſſitas vrgeat, vel pietas ſuadeat, præuia noſtra, ſeù Vicarij Generalis, aut Foraneorum licentia in ſcriptis non concedenda, niſi cum magna cautela, non tamen in ſolemnioribus Eccleſiæ Feſtiuitatibus.

Ad cominatoriã Pœna Interdicti **XVIII.** reducimus ipſo Iure.

Mulieres ſiuè nuptæ, aut viduæ, vel puellæ, cuiuſuè ſtatus, & conditionis exiſtant, feſtis diebus de Præ-

Præcepto, præſertim, ſi Miſsam prætextu quolibet, excepto infirmitatis, audire neglexerint; à Curatis, ſeù à Confeſsarijs ad Eccleſiaſtica Sacramenta (Nobis, aut Vicario Generali noſtro inſcijs) minimè admittantur, niſi in mortis Articulo. Ad Eccleſias eædem, etiam deuotionis cauſa poſt Auroram accedant, nec vltrà occaſum Solis ibidem permaneant ſub pœna Eccleſiaſtici Interdicti ipſo iure incurrenda.

Pœnā suspensionis tollimus. Inobedientes in pœnā ducatorum pro quolibet et qualibet vice denunciato ... operibus pijs arbitrio applicandā; imo etiam carceris

XIX.

ADmodum Reuerendi Canonici, Curati, Rectores, Sacerdoteſque omnes Sacrum facturi in hac noſtra Marſorum Diœceſi, priuſquàm accedant ad Altare, cum habitu talari, aut vulgò *Mozzetta* integra, nulla in parte lacera, aut conciſa, nec non cum tonſura ſuo Ordini congrua, ac ſine coma, & capillatura ferè ad inſtar Clericorum Regularium incedant, peccata ſua ſaltem ſingulis hebdomadibus confiteantur, niſi eos ob mortalis peccati culpam frequentiùs id facere oportuerit; deindè ſe colligant, & orantes, mentem in Miniſterij cogitatione deſignent; poſteà Miſsam perlegant, nemini colloquentes, nec à Sachriſtia exeant, niſi ad Altare eundum erit, deindè lotis manibus, ſacriſque veſtibus non laceris, neque incongruis, ſed decentibus, & mundis induti, ac paratis omnibus ad Miſsæ celebrationem, candeliſque accenſis, atque delatis ampullis, aqua, & vino albo optimo ipſa manè à dolio hauſto plenis, cum ſudariolo mundo per Miniſtrum cum biretro exeant ad Miſsam in Altari celebrandam, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo iure incurrenda ſecundùm Mentem noſtram exaratam per quemlibet inobedientem, vltrà alias pœnas arbitrio noſtro inſligendas.

XX.

CAnonici Cathedralis, ſiuè Collegiatarum Eccleſiarum, Choro, & Diuinis Officijs interſint, rubricaſque à ſacris Canonibus, ſeù à Sacra Rituum Congregatione ſancitas, aut aliter ceremoniarum libellis præ-

ſcriptas, adamuſſim ſeruent, ſicuti earum ſtatuta; neque prætextu celebrationis Miſsarum, ſeù ad confeſſiones excipiendas, aliauè negocia quoque Eccleſiæ peragenda, niſi iuſta cauſa, reuerentia conſueta priùs præhabita diſcedant ſub amiſſionis diſtributionum pœna. Abeſse in Menſibus à Sacro Concilio Tridentino ſibi permiſſis, minimè liceat tempore Aduentus, Quadrageſimæ, Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri IESV Chriſti, Pentecoſtes, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & in Feſtiuitatibus Sancti Titularis, vel Patroni principalis Ciuitatis, ſeù Loci, minùſque pluribus vno, eodemque tempore Chorum, & ſeruitium Eccleſiæ fas ſit relinquere ob Diuini Cultus diminutionem.

XXI.

SAcræ Congregationis Rituum inhærentes decretis, Officium fieri, Miſsamque celebrari cum octaua, vt hactenùs abuſiuè de translatione Corporis Sancti Berardi die prima Maij, interdicimus, mandamúſque ſolemnizzari eadem die cum Officio, & Miſsa Feſtiuitatem Sanctorum Apoſtolorum Iacobi, & Philippi, donec aliter à Sacra Rituum Congregatione decidatur.

XXII.

FEſtum cum Officio Sancti Petri Eremitæ Auis Buttis huiuſce Diœceſis, cuius ſacrum Corpus in Oppido Trebarum Anagninæ Diœceſis requieſcit 30. Auguſti ſolemnizetur iuxta Decretum ſacræ Rituum Congregationis, cuius tenor, ſequens eſt. Marſicana. Sacra Rituum Congregatio ad preces Reuerendiſſimi Epiſcopi Marſicani, benignè indulſit facultatem, vt in poſterùm iuſtis de cauſis ſemel in Anno, die 30. Auguſti in tota ſua Diœceſi recitari poſſit Officium proprium duplex cum octaua Sancti Petri Eremitæ ab omnibus vtriuſque ſexus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, iam approbatum, & conceſſum pro Oppido Trebarum Anagninæ Diœceſis, & poſteà extenſum ab eadem ſacra Congregatione ſub die 31 Martij 1674.

pro

pro vniuerſo Clero, tàm Terræ Sublaci, quàm aliorum locorum Abbatiæ Sublacenſis. Hac die 2. Octobris 1683.

XXIII.

VT ea, quæ Diuinum cultum reſpiciunt cum debita reuerentia fiant, volumus, vt in omnibus Eccleſijs tàm Cathedrali, quàm Collegiatis, & Parochialibus prædictis, vt per eius Procuratorem, vel Syndicum prouideatur intrà biduum de punctationum libro penès hebdomadarium pro tempore cuſtodiendo, cui ſub pœna de proprio ſoluendi duplicatam punctaturam, Sachriſtię, vel Fabricæ Eccleſiæ applicanda, mandamus adnotare abſentes à Choro, ac à ſeruitio Diuinorum Officiorum, Dignitati, Canonicatui, ſeù Beneficiato debito cum ſpecificatione diei, & horæ ſeruitij omiſſi. In horum notandis negligentijs, hæc ſeruetur ratio. Ad Matutinum, ſicuti ad Horas, Veſperas, & Completorium poſt primum Pſalmum: Ad Miſſam cantatam poſt vltimam Kyrie eleiſon: Ad Exequias poſt Inuitatorium; Ad Miſſas de Requiem finita Epiſtola. Volumus pariter, vt notentur abſentium punctis, ſi ad inuicem ioco loquantur, ſi litteras legant, ſi de ſtallo non petita vt ſuprà licentia receſſerint, vel nugas, ſuſurros, aut riſus excitent, dùm Officia Diuina celebrantur. Ij verò, qui ad Eccleſiam conuenerint, ſed dum eadem Officia recitantur, deambulauerint antè fores Eccleſiæ, vel in ea, ſiuè in Sachriſtia, aut Choro adſtiterint ſine cantu, dupliciter punctentur inſeruientibus, ſicuti diſtributiones applicandæ. Punctatura ſit, vt hactenùs ſeruatum eſt pro cuiuslibet Officij partibus, nec non Miſſæ cantatæ carentia in ſemiduplici, vel ſimplici, ſiue de Fèria, in Duplicibus, & Feſtis Maioribus duplicetur, vt ſuprà applicanda.

XXIV.

ANtè Miſſæ celebrationem in Sachriſtia, & Choro; ac iuxtà Mentem noſtram exaratam ſub pœna ſuſpenſionis ab iſta, ac ab Ordinum exercitio reſpectiue, ipſo facto incurrenda, Sacerdotibus, etiam Diaconis, Subdia-

Subdiaconis inſeruientibus Miſſæ paratæ; prohibemus ſiuè per nares, aut per os ſumere tabaccum.

XXV.

SAcerdotes ex onere Eccleſiæ, vel Beneficio, aut Cappellæ annexo, ſiuè ex Legato pio celebraturi, ſtatim ſacro peracto, proprio caractere adnotent in libello ad hunc effectum in Sachriſtia retinendò, ſatisfactionem cum expreſſione diei, Menſis, & Anni iuxtà tabellas, ſeù Defunctorum voluntates, etiam quoad dies certos præſcriptos: ſi ſecùs fecerint, nulla cuicunque præſtabitur in poſterùm fides, pœnamque duplicem eleemoſynę pro Miſſa debitæ, quilibet ſe nouerit ſtatim incurſurus, per Nos applicandam in memoratorum Defunctorum ſuffragia, ſine vllius moræ purgatione, nullaque excuſatione admiſſa.

XXVI.

FIeri prohibemus conuiuia, ludos, choræas, & omne inanium oblectamentorum genus in nouæ (vt vocant) Miſſæ celebratione, nec non decantatione Euangelij, Epiſtolæuè per Subdiaconos, & Diaconos modernos ſub pœna librarum decem ceræ albæ elaboratæ, Locis, & pijs vſibus applicanda.

XXVII.

QVilibet Sacerdos, vel Diaconus, ſiuè Subdiaconus intrà terminum trium Menſium à data præſentium, Albam cum amictu, & Cingulo, ac Superpelliceum mundum, decenſque Biretum habeant pro ſacris Functionibus in Eccleſia peragendis, attenta maxima Eccleſiarum Diœceſis huiuſmodi paupertate ſub pœna Mandati ad factum illicò exequendi, nulla mora admiſſa aduerſus inobedientes.

Miſſæ,

Iend̃ ... Ducato ... trio applicandā ...

XXVIII.

MIſſæ, nec antè Auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſa à iure permiſſa, celebrentur. In Eccleſijs, vbi plures Miſſæ celebrari ſolent, is ordo ſeruetur, vt pro Populi comoditate, in diebus Feſtis maximè de Præcepto. Prima diluculò, Parochialis verò duabus horis ab ortu Solis, datis priùs tribus Campanæ ſignis horæ mediæ interuallo diſtinctis, reliquis deinceps debito interuallo diſtributis, poſtremò autem quò tardiùs liceat, celebretur, ità tamen, quòd minimè dicto Euangelio per Sacerdotem exiſtentem in Altari, alter exeat à Sachriſtia ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſæ ipſo facto incurrenda, alijſque arbitrio noſtro &c.

XXIX.

CLerici quicunque, & maximè Subdiaconi, Diaconi, ac Sacerdotes Nobis ſubiecti, Superpelliceo mundo, ac Bireto decenti, veſteque talari, aut vulgò *Mozzetta* integra non lacera, ſeù in aliqua parte conciſa, dum Miſſæ, & Veſperæ, ac Diuina Officia celebrantur, ſacraque expoſitio Sanctiſſimi habetur in propria eorum Eccleſia, cui ſunt adſcripti, magiſque Sachriſtæ aſſiſtant, inſeruiant, pareantque ceremoniarum Magiſtro, ſeù Parocho, vel illarum Rectori, omnibus diebus Dominicis, ac Feſtis primæ, & ſecundæ claſſis, nec non quando Epiſcopus Pontificalia gerit, aut Eccleſiæ aſſiſtit, ſub pœna carolenorum quinque pro quolibet, & qualibet vice arbitrio noſtro applicanda, vltrà alias quoquè priuationis Clericatus, ac Officiorum, Beneficiorumque reſpectiuè poſt trinam monitionem, etiam per Edictum publicum faciendam, ceſſante tamen legitima cauſa per Nos, ſeù per Vicarios noſtros dumtaxat cognoſcenda: Extrà verò Eccleſiam, quilibet ipſorum incedat cum tonſura, & habitu, veſteq; ſuo ſtatui conueniente, non lacera, ſeù conciſa, nec arcta, ſed lata, vt corpus totum operiat, & ita oblonga, vt ſaltem medietatem cruris tegat, cum manicis nigris, & clauſis: Tibialia verò

non niſi

non niſi nigri, ſeù violacei, aut alterius coloris obſcuri, modeſtiam, & honeſtatem tantùm præſeferentis deferant, comam, & capillaturam minimè gerant, præſertim in Sacris conſtituti, quaſi ad inſtar Clericorum Regularium, aliter pœnam decem librarum ceræ noſtro arbitrio applicandam pro quolibet, nec non carceris iuxtà facti exigentiam, Contumax ſe nouerit incurſurus. Quam pœnam incidant arma cuiuſuis generis deferentes, quique Cauponam, ludoſque alearum, ſeù taxillorum, vel ſimilium publicè, ſiuè in Apotheca, aut priuato loco ſequuntur, nec non ſimiliter, qui poſt duas horas noctis proprijs domibus non ſe receperint abſque honeſta, & neceſſaria cauſa, aut habitum dimiſerint, ſonis, cantilinisuè profanis, vel laſciuis interfuerint; ſeueriùs tamen, qui domum ludentibus, & præmia gerentibus, accommodauerit, ſiuè cum eis participauerit, aut erit inſpector; nec non ſi perſonati, aut laruati incederint, aut Comedias publicas, vel priuatas recitauerint, nec minùs Tragediam abſque noſtra ſpeciali facultate. Permittimus autem, vt recreationis gratia inter priuatos parietes ludere poſſint aliquo ludi genere honeſto, & à Sacris Canonibus non vetito, aut etiam pila, folle, nec non vulgò *alle Boccie*, *& alla Ruzzola*.

XXX.

CLerici in Minoribus conſtituti, ſi clericalibus Priuilegijs potiri velint, habitum, & tonſuram gerant, & vt ſuprà Eccleſiæ inſeruiant: ſi ſemel habitum dimiſerint, ac ſæcularibus negocijs ſe immiſcuerint (Nobiſque inconſultis) eum reaſſumpſerint, Priuilegium ſibi non ſuffragari ſciant, Frequentent ſanctiſſima Sacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ ſemel in Menſe ſaltem, ac in ſolemnioribus Eccleſiæ Feſtis, Doctrinam chriſtianam, virtuteſque ſedulò ediſcant; ſine horum Teſtimonio, à Parochis, quorum conſcientiam ſtrictè oneramus faciendo, nemo ad alios Ordines promouebitur: Ij, qui prima tonſura initiantur, aut ad Minores Ordines promoueantur, Candelam, ſeù Cereum dimidiæ ſaltem libræ; ad Sacros verò vnius libræ deferant in oblatione,

Supel-

XXXI.

SVpellectilia ſacra quoque ad Miſſæ celebrationem, non niſi in Armario ligneo affabrè facto in Sachriſtia collocando, retineri mandamus ſub clauibus per Sachriſtam aſſeruandis. Sicuti quoque Lauacra lapidea cum ſuis lineis manutergijs, iuxtà morem Eccleſiaſticum adaptentur, & detineantur pro Clericorum, Sacerdotumque vſu intrà prædictum tempus trium Menſium; Sacerdos enim aliter ibi celebrans, à Miſſæ celebratione ipſo iure nouerit ſe ſuſpenſum: Eadem ſupellectilia, niſi ad effectum illa dealbandi, reaptandiuè, ab ipſis Eccleſiis, Sachriſtijs, vel Armarijs à quopiam nequaquam amoueantur, minùſque mutuò alicui tradantur, ſiuè in profanum vſum adhibeantur (Nobis inconſultis) ſub pœna Excommunicationis ipſo iure incurrenda per eos, qui illa abſtulerint, aut receperint.

XXXII.

INuigilent diligenter Parochi, ac Confeſſarii euellere, ſi quod ſuperſtitionum generis in ſuæ Parochiæ hominibus, ſeù pœnitentibus animaduertant, acriter obiurgando, qui aliquod remedium valetudini, aut vulneribus corporis humani, vel animalis adhibeant, vel verbis, aut ſigno, ſiuè herbis, ſeuè alia, & ſi indifferenti per ſe ſe, vel aliter vtantur, quod non à Medica arte, & cognitione, ac ab Eccleſia Catholica approbatis, ſed à ſuperſtitione, eiuſque ſpecie quomodolibet proficiſcatur, tùm præterea, quando tempore, aut loca, vel quid huiuſmodi ſuperſtitioſa opinione obſeruent, veluti alterum non mutuandi panem, ſeù ignem diebus, aut horis, quibus panis in fumo decoquitur, vel frumentum in area conteritur, & quàm plura ſimilia, incautè, inutiliter, inanèque inepta vti ſuperſtitioſa condemnamus, & ab huiuſmodi vano ſenſu, fallacia, atque errore deterrere, & auertere conentur, nec non moneant id ſcientes, etiam ex auditu, ſub Excommunicationis pœna, Epiſcopo reuelare talia facientes, qui ſicuti non denunciantes, pœ-

nas in ſacris Canonibus præſcriptas ſt i[illegible]luent, publicamque agent pœnitentiam, nulla excuſatione admiſſa, etiam pro prima vice, illaſque extendimus ad eos, qui talia docent, approbant, aut vera, vel probabilia credunt.

XXXIII.

ACceſſum Sæcularium in Choro, aut Sachriſtia tempore, quo Sacerdotes, & Clerici Diuina ſapiunt, vt antè interdicimus, exceptis ſeruientibus.

XXXIV.

OMnes, niſi legitimè impediti, comitentur deuotè Proceſſiones faciendas in Annum iuxtà Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, adeòut nemo etiam ex puellis, vel Viduis, aut aliter remaneant in Eccleſia, vbi fiunt prædictæ Proceſſiones ſub pœna interdicti Eccleſiaſtici ipſo Iure incurrenda. Mulieres a viris in Proceſſionibus ſeparatim incedere, magiſque in Eccleſia, præſertim in Concionibus, interpoſitis ſcamnis altioribus, vel tela ſedere, aut ſtare, ſub pœna Eccleſiaſtici, interdicti decernimus; actiones verò, ſeù repræſentationes quaſcumque in eiſdem, ſub pœnis noſtro Arbitrio reſeruatis prohibemus.

XXXV.

CAndelæ, aut lampades coram ſacra Imagine in Eccleſia, vel extrà, alioq; priuato loco in poſterùm extrà Miſſarum celebrationem, nec non Eccleſiaſtica Officia, nequaquàm accendantur, niſi per Nos, vel Vicarium Generalem noſtrum, cauſa tamen, fineque ritè examinatis, aliter contra inobedientes grauiter procedetur, Rectoreſque, aut Eccleſiarum Miniſtri eas amoueant, Nos certiores ſtatim reddendo,

Abſti-

XXXVI.

ABſtineant omninò Parochi, tàm à publicatione, quàm à celebratione Matrimoniorum inter Sponſos, qui inuicem conuerſati fuerint, & ſi vrbanitatis ampore, aut aliàs, ſiuè per ſe ipſos, vel per alios in donatiuis, aliqua verba contrà honeſtatem, vel bonos mores interceſſerint, & vlteriùs niſi Sponſos in Fidei erudimentis antè dictis benè edoctos, nec non pridiè, ipſouè Nuptiarum die confeſſos, ac ſacra Comunione refectos reppererint, eoſque functione iuxtà Rituale Romanum peracta (cauſa tantùm legitima per Nos, vel Vicarium Generalem cognoſcenda, excepta) ſuper mutua cohabitatione ſeriò moneant pœna Excommunicationis latæ ſententiæ adiecta, Nobis, ſiuè Vicario præfato, poſtea tranſgreſſores notificando, quam Excommunicationem incurrant; tàm Sponſi inuicem vt ſuprà conuenientes, quàm quæcumque perſona cuiuſuis ſtatus, gradus & conditionis exiſtat, quæ ad id eos conſuluerit, vel quomodoliter cooperata fuerit, veluti quoque Sponſa, quæ coronam in capite, vel quid ſimile florum, et am præ manibus deferre auſa fuerit. Inſuper mandamus Parochis, quòd ſtatim ſibi innotuerit ſponſalium contractus inter eius Parochianos, Sponſos certiores faciant de præſenti noſtro Decreto, moneantque ſuper illius obſeruantia; Contrauentores verò vltrà Cenſuram publicæ pœnitentiæ per Nos, vel per Vicarium Generalem imponendæ, ſubiacebunt: ſicuti Parochi id facere omittentes, arbitrariè mulctabuntur.

XXXVII.

DEfunctorum cadauerum aſſociatione ad Eccleſiam, ſicuti intùs eam, vetamus per quemcumque ex eorum Parentibus, aut comitantibus fieri planctum mœſtitiæ, & doloris quocunque actu, externouè ſigno oſtendi, minùſque panes, vel aquam ſuperſtitionis cauſa apud Mortuum in feretro, aliùdque quod ſpeciem ſuperſtitionis præſeferat, aut ſuſpicionem habeat, apponi ſub pœna In-

na Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ arbitrio Epiſcopi. Defunctorum prædictorum parentes, conſanguinei, affines cuiuſcunque gradus, ſiuè viri, ſiuè mulieres, poſt mortem ſuorum ad ſummùm, ne hebdomadibus duabus ampliùs ſint abſque Miſſæ auditione, qua in re nulla valeat excuſatio cuiuſuis conſuetudinis, quam irritam decernimus. Contumax verò quicunque extiterit, elapſo dicto tempore, gladio Excommunicationis ferietur nulla exceptione admiſſa, niſi ea infirmitatis, vel alia legitima per Epiſcopum cognoſcenda, quam pariter incurrent ij, qui propter cauſam prædictam, veſtibus minimè ſe ſpoliant, ſeù interula noua ſe induunt, aut barbam ſe tondunt, non niſi poſt plùres Menſes, Annumuè, cùm Actus huiuſmodi ſuperſtitionem ſapiant Ethnicorum, in Eccleſia Dei nequaquàm tolerandi.

XXXVIII.

SEpulcra non niſi pro cadaueribus tumulandis aperiri, noua confici, minùſque rumpi Eccleſiarum pauimenta, ſicuti lapides ſepulcrales cum inſignibus Familiarum Imaginibus, Elogijs, Inſcriptionibus, Sculpturis, ſiue aliquo noui operis, quale quale illud ſit, popularem magnificentiam, ſeù oſtentationis ſpeciem præſeferens, vetamus abſque noſtra facultate, ſeù approbatione, & ſi quid contrà hoc attentatum fuerit, id omne mandamus in priſtinum reſtitui, ſub pœna ducatorum viginti quinque Rectoribus id permittentibus, & ſuſpenſionis ipſorum ſepulcrorum pro noſtro arbitratu.

Ad ordinatoriam XXXIX. *reducimus simplicit*

XXXIX.

QVicumque Notarij, aut Curati, Sacerdoteſuè, vel Confeſſarij, tùm Sæculares, tùm Regulares, ſiuè quælibet alia perſona Eccleſiaſtica, aut ſæcularis Legata de Pijs cauſis, aut de rebus malè acquiſitis, vel reſtituendis, vel ad Animarum ſalutem, Conſcientiamque Teſtatorum, ſeù alitèr diſponentium pertinentibus, rogata, ſcripta, vel ſibi exarata, intra duos Menſes, à die obitus Teſtatoris computandos, Nobis, vel Vicario Generali

rali noſtro denuncient ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, quam Excommunicationem extendimus ad eos, qui ſiuè oretenùs, ſiuè in ſcriptis moniti, vel quomodolibet ſciuerint poſt Menſem illa adimplere minimè curauerint. Iniungentes vlteriùs prædictarum Eccleſiarum Rectoribus, prima Dominica cuiuslibet Menſis de mandato noſtro inter Miſſarum ſolemnia, hæredibus, vel executoribus memoratarum piarum voluntatum, eoſq; monitione canonica monere, quòd niſi intrà quindecim dies, per documenta legitima de præfatorum Legatorum ſatiſfactione in Actis Cancellariæ docuerint, contra Contumaces relaxabitur Declaratoria Excommunicationis, nec non reſpectiuè mandatum executiuum abſq; alia intimatione. Inſuper mandamus, intrà Menſem per eoſdem Rectores, onerum Tabellam confici, ac in Sachriſtia appenſam retineri, illarumque copiam bimeſtre quolibet tradi Vicario Generali noſtro in Ciuitate, extrà verò, Foraneo ad effectum adimplementum dignoſcendi, Nobiſq, , ſeù dicto noſtro Vicario referendi, an pium onus a Defunctis relictum, nec ne fuerit impletum ſub pœna pro arbitratu noſtro.

XL.

IN Canonicorum, Clericorum, aut Eccleſiaſticorum Ædibus, mulieres, non niſi pro conſanguinitatis, affinitatiſuè gradu coniunctas, parandi, aut alia domeſtica Officia ſibi præſtandi, aliauè cauſæ ſpecie, cauſa etiam non pernoctandi, retinere, nec non eoſdem Clericos, aut Eccleſiaſticos in ipſarum domibus habitare quomodoliter ſine noſtra in ſcriptis licentia, prohibemus ſub pœna ducatorum duorum, ac carceris iuxtà facti exigentiam.

XLI.

ECcleſias, Cappellās, & ſepulcra reſq; Deo dicatas in Templis conſecratis, & benedictis exiſtentes, vendi, vel emi lato ſumpto vocabulo, ſeù ad annuum Canonem concedi, etiam ad rationem materiæ abſq; noſtri Tribu.

Tribunalis licentia in ſcriptis, prohibemus, contractuſque forſan hactenùs ſecutos, aut faciendos, nunc pro tunc irritos declaramus; ac Contrahentes, vel Poſſeſſores, ſeù poſſeſſionem trahentes excommunicamus, mandantes Rectoribus, & Sachriſtis, alijſq; curam Eccleſiarum habentibus, ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum, ſi in ſacris exiſtant, alijs verò Excommunicationis, quarum abſolutionem Nobis reſeruamus, id ſtatim Nobis denunciare, vt opportunè prouidere poſſimus.

XLII.

EXcommunicationi ipſo facto ſubiaceant Venditores, vel Emptores bonorum ſtabilium, aliorumque Iurium, quæ Eccleſijs, Cappellis, aut Locis Pijs, quibuſcumq; ſunt obnoxia in onere annuum Canonem, vel Cenſum, aut aliud quoduis emolumentum ſoluendi, ſi certò hoc ſcientes, huiuſmodi onera in contractibus, vel conceſſionibus tacuerint, ſiuè tantùm in genere expreſſerint non ſpecificando Eccleſiam, vel Locum, cui prædicta debeantur, eamdemque Excommunicationis pœnam incurrant etiam Notarij, vel alij malitiosè in hoc conſulentes, neque abſoluantur, niſi facta priùs expreſſione ante dicta.

XLIII.

DEclaramus itidem excommunicatos iuxtà Concilij Tridentini Decreta, eos, qui temerè, ſiuè iniuſtè bona mobilia, ſtabilia, iura, ſcripturas ad Eccleſias, Cappellas, ſeù Loca Pia ſpectantia, occupauerint, ſeù ſub quocumq; prætextu detinuerint, niſi infrà Menſem à publicatione præſentium computandum, ſeù habitæ notitiæ cum effectu, minimè Rectoribus, ſeù Adminiſtratoribus reſtituerint; vel id ſcientes non reuelauerint, contra quos per Curatos prima Dominica Aduentus mādamus, fulminationem fieri in forma Eccleſiæ conſueta.

Ad Or-

XLIV.

AD Ordines ſiuè Minores; ſiuè Maiores nemo admittetur, niſi is, qui vltrà neceſſaria requiſita à ſacris Canonibus Tridentini Concilij præſcripta, teſtimonium quoque Parochi, ſeù alterius Sacerdotis deputati, detulerit, quòd aſſiduè ipſe Doctrinæ Chriſtianæ, ſeù Cathechiſmi lectioni interfuerit, ac Sacramenta Pœnitentiæ, & Comunionis, ſemel in Menſe ſaltem frequentauerit. Super quo conſcientiam Parochorum ſtrictè oneramus.

XLV.

REctores, ac Sachriſtæ Eccleſiarum, vel Cappellarum quarumcumque huius Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum, ipſo facto incurrenda, Sacerdotes non Diœceſanos cuiuſcunque ſtatus, vel Ordinis, abſque noſtra, ſeù noſtri Vicarij Generalis, vel Vicarij foranei Loci licentia pro Miſſis in ijs celebrandis, minimè admittant, præſertim in officio Cappellani ordinarij, aut extraordinarij.

XLVI.

MEnſe quolibet, die à Nobis, vel Vicario Generali noſtro in Ciuitate, extrà verò à Reuerendo Vicario foraneo Loci, præſcripta Caſuum Conſcientiæ inter Eccleſiaſticos Collatio habeatur, vbi tres Caſus proponantur, ac de more decidendi, cui aſſiſtant ne dùm Confeſſarij, verùm etiam Sacerdotes Nobis ſubiecti, qui defecerint ſine legitima cauſa à Nobis, vel Vicario Generali noſtro, vel à Reuerendo Vicario foraneo approbanda, carolenorum trium pœna pro qualibet vice in ſuffragiorum Defunctorum applicanda mulctabuntur arbitrio noſtro.

XLVII.

QVoniam multi debitores Eccleſiarum, Cappellarum, Locorumque piorum, bona, redditus, Cenſus, prouentus, ſeù reliquatum adminiſtrationum ſoluere recuſant, adeò vt Miſſarum, & Diuinorum Officiorum onera minimè perſoluantur, ac pietatis opera cum maximo Diuini Cultus detrimento intermittantur; propterea ſtatuimus, quòd ſi debitores præfati, ſeù Adminiſtratores dictorum Locorum, infrà Menſem, poſtquàm fuerint requiſiti à Rectoribus, ſeù illorum Procuratoribus, debita non ſoluerint, à Confeſſarijs nequaquàm abſoluantur, ſed Nobis, ſeù à Nobis deputandis ipſorum abſolutionem reſeruamus;

XLVIII.

CVm nullus extat Codex, ſeù regeſtum Eccleſiarum; ſiuè Parochialium, ſiuè *non*, veluti Beneficiorum ruralium, ſiuè ſimplicium, etiam Iure patronatus, tùm Eccleſiaſticus, tùm Sæcularis huiuſce Diœceſis noſtræ: Iubemus tradi per manus Vicariorum Foraneorum binas formulas, vnam ſtatus perſonalis quorumcumque Beneficiatorum, alteram temporalis earumdem Eccleſiarum, & Beneficiorum, præſcribimuſque terminum ſex Menſium quibuſcumque illarum, ſeù illorum Rectoribus, Poſſeſſoribus, ſiuè Procuratoribus ad tranſmittendum huiuſmodi ſtatus, nec non inuentarium mobilium, ſtabilium, & Iurium ad noſtram Cancellariam ſub pœna ducatorum viginti quinque, ac reſpectiuè Interdicti à celebratione Diuinorum in eiſdem Eccleſijs, ſiuè Beneficijs,

XLIX.

VAcantibus Parochialibus, aut alijs quibuſcumque Beneficijs prædictis, Vicarij foranei tranſmittant ſtatim ad Nos, ſeù noſtrum Vicarium Generalem relationem vacationum, exprimendo nomen, & cognomen Titu-

Titularium, Defunctorum; diem, Menſem; & Anni obitus, Eccleſiæ Titulum, notulamque diſtinctam redditurum, tàm certorum, quàm emolumentorum extraordinariorum pro veriſimili.

L.

EAdem ratione, cùm Beneficiatus obijt, iubemus; Vicarios foraneos Diœceſis ſtatim inuentarium omnium ſcripturarum, Vaſorum ſacrorum, ac ſacræ ſupellectilis accuratè conficere, & ea omnia conſignare Beneficiato ſucceſſori cum copia eiuſdem Inuentarij: ne tractu temporis diſperdantur, aut diſſipentur.

LI.

OFficia pro Mortuis, ſiuè Anniuerſaria quæcunque in Hebdomade maiori, in qua fit commemoratio Paſſionis Domini Noſtri IESV Chriſti, vel in octauis quarumcunque ſolemnitatum Domini, maximè ſi ſint dies Feſti, celebrari poſſe prohibemus.

LII.

SErò, aut noctu Feriæ jv. Cineris comburi vulgò *il Carneuale*, ſeù eius ſimulacrum, lignorum ſtrues, paleas, & ſimilia, vetamus, ſicuti Cithariſtis circumire loca cum ſtrepitu, clamoribus, ac tripudijs, ſiuè comedere carnes poſt ſonum campanæ ante mediam noctem, cuius ſignum in qualibet Eccleſia Parochiali, Matrici tamen in poſterùm dari per Sachriſtas, ſeù eos, ad quos ſpectat per dimidiam horam ante dimidiam noctis, vt Populus ſe abſtineat à quocunque eſu, & baccanalium more, quod eſt Sathanæ inuentum ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ quoad Laicos, quoad verò Eccleſiaſticos ducatorum decem, iubemus

LIII.

PRiorum, ſiue Procuratorum, aut Officialium electio, vel confirmatio, Societatum, Confraternitatum, Locorumque piorum, ſtatuta die iuxtà illorum approbata ſtatuta per ſecreta Confratrum Suffragia, campanæ ſigno de ſero antecedenti, ſicut de manè dato, fiat in conſueto loco coram Nobis, aut Vicario Generali noſtro in Ciuitate, extra verò coram Vicario foraneo, ſiuè Curato Loci, ſub nullitatis, priuationiſque vocis actiuæ, & paſſiuæ pœna pro dicta vice ipſo facto incurrenda: Irritam pariter declaramus eam, ſi aliquis ex Confratribus cuiuslibet, non legitimus, ſiuè ſacculo non vtens, aut aliter inhabilis redditus, aut priuatus iuxtà illarum ſtatuta, ad votandum acceſſerit: Sicque nulliter electo administrationem ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna interdicimus; ad Confratriam nullus admittatur, niſi de ſacco ad proprium vſum prouiſus, ac adamuſſim dictorum ſtatutorum forma ſeruata; quique per Confratrum vota ſecreta admiſſus, in Tabella, ſeù libro per Cappellanum, ſeù ad quem ſpectat, cum eius nomine, cognomine, ac ætate regiſtretur: Quique verò ad Proceſſiones, vel Congregationes, atque ad ſpiritualia exercitia iuxtà illarum Conſtitutionum præſcripta, per quatuor vices nequaquàm acceſſerit, vel præſens non fuerit, omni ſuo Iure priuatus remaneat, ac à Confratrum Cathalogo aboleatur, niſi legitimo detentus fuerit impedimento, à Prioribus præfatis, prævia noſtra, ſeù Vicarij Generalis noſtri, ac foranei, ſiuè Curati (vt ſuprà dictum eſt) participatione cognoſcendo.

LIV.

OFficiales prædicti, etſi confirmati, completo Anno, ſua computa intrà Menſem reddant, ſolidationemq; à Nobis, ſeù Vicario Generali, aut Deputato noſtro reuiſam, & confirmatam de more, reportent, & interim ſub eadem Excommunicationis pœna, adminiſtrationem minimè gerant, vel proſequantur. Debitores

tores verò quomodocumq; niſi debito priùs integrè perſoluto, ad illam (Nobis inconſultis) admittantur, taiùſq; in ea ſe gerant ſub prædicta pœna,

Pœna excom.is hic expressa intelligenda est primo monitione secundum Sac. Conc. Trid. dispositionem

LV.

ECcleſiarum, Cappellarum, Locorumq; piorum præfatorum debitores, per Parochos qualibet prima Dominica Auguſti, moniti inter Miſſarum ſolemnia, frumentum, legumina, pecuniaſq; quomodolibet debitas, intrà Menſem non reſtituerint, aut ſoluerint, ipſo facto à voce actiua, & paſſiua ſint excluſi, ac Excommunicationis vinculo, vti Eccleſiaſticorum bonorum occupatores donec non ſatisfecerint; abſq; monitione alia ſubiacebunt: Vtq; iſti nequeant ignorantiam allegare, Procuratoribus, aut Adminiſtratoribus præcipimus, notulam cum expreſſione quantitatis, cauſæque debiti præcedenter, tradere Curatis, eam vt ſupra publicaturis, ac poſteà ad ianuas principales ſuarum Parochialium affixuris; alioquin debita huiuſmodi inexacta, moroſis Procuratoribus nunquàm benificentur, ſed ſibi ipſis adſcribantur in computorum ſolidatione: Item debitoribus, ne frumentum, ſeù quicquid aliud, iterùm (Nobis, vel Vicario noſtro inconſultis) mutuetur, aut tradatur; ſin minùs adminiſtrator de proprio tenebitur, ſtatimq; officio priuatus exiſtat, ac ad ſolidatum, ſiuè per Cenſuras Eccleſiaſticas, aut per Iudices ſæculares (nulla mora admiſſa) cogatur.

LVI.

FRumentum, ſiuè legumina, ſementium, meſſiumq; tempore præuio pignorum, ſeù perſonæ cautione idonea, mutuo tantùm per Procuratores, ſeruata familiarum, quoque pauperum qualitate tradantur, ita tamen vt tres ſalmas ad menſuram ...

ancegenda: Cui ſubiaceant ij, qui vltrà duos ducatos mutuauerint, aut in proprios vſus, pecuniam, ſiuè frumentum, vel bona conuerterint.

LVII.

QVilibet ſe prorsùs abſtineat à mùtuando frumento ſcalioſo, vel nimis humido, & peſſimæ qualitatis, inito pacto illud recipiendi cribratum, bonæque conditionis in recollectione; pariterque idem vendendi dilato tempore pro pretio de Menſe Maij ſtatuendo, vulgò *alla voce*: Cùm huiuſmodi contractus vſurariam ſapiant prauitatem; ideòque hoc facientes, ſciant ſe grauiter peccare, reſtitutionique, atque pœnis Eccleſiaſticis obnoxios, nec non abſolutionis ſacramentalis incapaces: Quarè Parochos, & Confeſſarios tàm Sæculares, quàm Regulares in Domino hortamur, vt pro eorum viribus, malum huiuſmodi eradicare curent.

Decretũ hoc continetᵒ. sub casibus nobis reservatis, ideoque adimitur facultas Curatis, et Confessariis.

LVIII.

LIbellorum famoſorum graue facinus, vndè alia præterea peccata, & ſcelera, atque mala exoriuntur, vt quantùm in Nobis eſt, è noſtra Diœceſi profligetur, ſtatuimus, eos, quicunque ſint, qui illos ſcripſerint, ediderint, diuulgarint, Excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſtatim ſubire; quam pœnam extendimus ad illos, qui litteris publicis, vel priuatis, aut proprio, ſiuè alieno, vel nullo nomine exaratis, ſiuè oretenùs diabolico ſpiritu ducti, odio, vel animo peruerſo, aut quomodolibet directè, vel indirectè per ſe ſe, vel aliter narrauerint, publicauerint, ſiuè nota fecerint crimina, graueſque Proximi defectus, etſi vera, vel falſa ſint, eo fine, vt Perſona, vel Familia diffametur, vel circa eam bonus conceptus depereat, aut iurgia, diſſentiones, homicidia, & ſimilia mala proueniant. Si Clericus verò ſit, qui talia admiſerit, Beneficiorum etiam; ſi quæ ha bet; amiſſione mulctetur, præter alias pœnas à ſacris Canonibus, & Legibus ſancitas; à qua Excommunicationis pœna, nemo quiſquam huius criminis reus abſolui poſſit, niſi fama, &

honore,

honore, cui iniurioſè detractum eſt, reſtituto p[illegible]
ſtro, & Succeſſorum arbitratu.

LIX.

SEdibus in Confeſſionalibus, vltrà Bullam Cœnæ Domini, ac Imaginem Sanctiſſimi Crucifixi, etiam ſchedulam, ſiuè notulam Caſuum Nobis reſeruatorum, infrà ſpecificandorum, retineri mandamus, ſub pœna ducati vnius in vtilitatem eiuſdem Eccleſiæ arbitrio noſtro erogandi.

CASVS RESERVATI.

1 HOmicidium voluntarium, tàm quoad perpetrantes, quàm ad mandantes, adiuuantes, vel conſulentes, nec non Progenitorum percuſſores.

2 Superſtitiones, ſortilegia, inuocatio Dæmonum expreſſa, maleficia quæcunq;, & in his abuſus ſacrarum rerum.

3 Prouocatio abortus poſt animatum fœtus, tàm opera, quàm conſilio, aut auxilio, etiam effectu non ſecuto.

4 Detentio infantium in lecto antè annum completum extra aliquod inſtrumentum, ſeù repagulum, vel cunulam, & ſuffocatio puerorum, & puellarum.

5 Falſum teſtimonium in damnum Proximi facientes, procurantes, vel ſuadentes, ſeù mandantes, falſificantes ſcripturas cum intereſſe Tertij; & Actuarij dicta Teſtium aliter, quàm per ipſoſmet Teſtes fuerit depoſitum, regiſtrantes, addentes, vel diminutas depoſitiónes ſcribentes.

6 Incendiarij, & vites, vel arbores alienas fructiferas incidentes notabiliter.

7 Blaſphemia hæreticalis in Deum, & Beatiſſimam

vel affinitatis etiam ſpiritualis, Raptus mulierum, ac ſtuprum Virginis per vim; Sodomia, ac beſtialitas.

10 Copulatio Sponſorum ante Matrimonij legitimi contractum.

11 Libellos famoſos, ſeù litteras quoque priuatas, diſcurſuſuè infamatorios facientes, dictantes, ſcribentes, narrantes, aut quomodolibet in odium, vel damnum, ſeù Proximi iniuriam, vt ſuprà in præcedenti Decreto ſancitum eſt publicantes.

LX.

DEputamus, & eligimus infraſcriptos Examinatores Synodales pro ijs, qui ad quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica, etiam Curata, & ad Ordines ſunt promouendi, videlicet

Admodum Reuerendos Dominos.

D. Ioannem Baptiſtam Thomaſſettum Canonicum Cathedralis Eccleſiæ I. V. D noſtrum in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarium Generalem.

D. Vicarium Generalem pro tempore.

D. Fulgentium Thomaſſettum Archidiaconum. I. V. D.

D. Blaſium Thomaſſettum.

D. Philippum Capattum. I. V. D.

D. Hyacinthum de Afflicto. I. V. D.

Canonicos prædictæ Cathedralis Eccleſiæ.

D. Bernardinum Antoninum Præpoſitum Inſignis Collegiatæ Eccleſiæ Celani V. I D.

D. Sebaſtianum Thomaſſettum I. V D.

D. Ioſephum Merchatellum V I D.

D. Io Antonium Blancum I V. D.

D. Conſtantium Ruggerium I. V. D.

D. Matthæum de Andrea V I. D.

D. Dionyſium Baroſium I. V. D.

D. Marcum Antonium de Simeonibus V. I. D.

D Valerium Antonium Blaſettum I. V. D.

D Andream Placidum.

D. Franciſcum Amicutium.

D. Antonium de Grandis.

EX

EX REGVLARIBVS.

Ad.R.P. F Laminium de Magiſtris Sacræ Theolo. Mag. ac V. I. D. Tertio Ord. S.Franciſc.

Ad.R.P. Petrum Vincentium Tonellum Ord. Præd. Sac. Theol. Mag.

Ad.R.P. Felicem Fantotium Ord.Min. Conu.Sac.Theol. Mag.

Ad.R.P.Franciſcum Antonium Marianum Ord.Min.Conuent.Sac.Theol.Mag.

Adm.R.P. Hieronymum de Rubeis Ord.Min. Conu. Sac. Theol. Mag.

Theologum noſtrum Epiſcopalem pro tempore.

LXI.

DEputamus inſuper infraſcriptos, Iudices Synodales, quibus cauſæ committantur, & à Regularibus Conſeruatores eligi poſſint, videlicet

Ad. RR. DD.

D. Ioannem Baptiſtam Thomaſſettum Canonicum, & Vicarium noſtrum Generalem I. V. D.

D. Fulgentium Thomaſſettum Archidiaconum I. V. D.

D. Philippum Capattum I. V. D.

D. Hyacinthum de Afflicto I. V. D.

Canonicos dictæ Eccleſiæ Cathedralis.

D. Bernardinum Antoninum Præpoſitum inſignis Collegiatæ Eccleſiæ Celani. I. V. D.

D. Sebaſtianum Thomaſſettum. I. V. D.

D. Conſtantium Ruggerium. I. V. D.

D. Octauianum Melchionium. I. V. D.

LXII.

VT à Foro noſtro Epiſcopali, quantùm fieri poteſt, auaritiæ labes amoueatur, & quàm minimis poſ-

irrogandis, obnoxium fore re

LXIII.

HÆc Synodalia Decreta intrà Menſem ab eorum impreſſione computandum, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, Confeſſarij, ac Parochi omnes penès ſe retineant, attentè perlegant, atq; inuiolabiliter obſeruent, & exequantur, Parochiq; ſuo Populo ſeriò patefaciant, & illorum obſeruantiæ omninò ſtudeant, vt Diuinum effugiant Iudicium, & pœnas euitent Canonicas.

Hæc ad Dei laudem, & gloriam in prima noſtra Diœceſana Synodo decreuiſſe ſatis ſit.

Et rogata Synodus, an placerent dicta Decreta? Reſpondit. Placent

Ità eſt FRANCISCVS BERNARDINVS CORRADINVS MARSORVM EPISCOPVS.

Franciſcus Lucidus Secret. Deputatus &c.

IML 1528602